



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Consultationes Theologicæ Et Spirituales Christiani verè fidelis & verè devoti ...**

... De Excellentiis Dei

**Louis François <d'Argentan>**

**Augustæ Vindel. ; Dilingæ, 1701**

**VD18 90029526**

Consult. IV. De Essentiâ Dei.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45487**

## CONSULTATIO IV.

## De Essentia DEI.

**V**Ocare in Dubium, an Deus sit, propositio foret tam stupenda, ut & bases mundi concutere, & quid in illo est, tremore posset percellere. Seraphicus Pater meus Franciscus, cum quibusdam e Religiosis suis permisisset vacare studio Theologiae, volebat aliquando capere experimentum, quem e studiis suis retulissent fructum, & cum intrans eorum Scholam agitari audiret hanc quaestionem, *an sit Deus*; his solis Verbis ita artonitus, tamque vivaciter commotus fuit, ut zelo divinae gloriae totus accensus altum exclamaret: Eheu! Fratres mei, quod devenistis? Credideram studiorum vestrorum scopum fore, eruere & invenire motiva efficacia, quibus vos animetis ad amandum Deum; & vos quaeritis, an Deus sit! sed satisfecerunt ipsi, dicendo: quod solummodo de hoc proposuissent quaestionem, nullatenus autem de illius dubitare veritate: quod disceptarent duntaxat, ad confirmandum se in hac fide, ne utquam vero ad oppugnandum illam. Et hic ipse hujus Consultationis sit scopus.

Iveram aliquando invisum de-

votum aliquem ac pium Dei ser-  
vum, quem in veniebam in hor-  
to suo, ubi consulto sibi elegerat  
ambulacrum aliquod satis  
angustum, in quo solus obam-  
bulabat suis defixis cogitatio-  
nibus, juxta pulchrum aliquod  
stagnum, quod ex utraque par-  
te muniri ac cingi fecerat gemi-  
na Cypressorum serie, quas  
dum cura ac industria valde ex-  
perti hortulani excolebat, ve-  
lut totidem referebant pyrami-  
des bene ordinatas, & hae in fun-  
do aquae denuo formabant ac  
reddebant alias.

Videbam bene ibi alias & ite-  
rum alias esse: unae namque occu-  
pabant aquam, aliae occupabant  
terram. Unae habebant radi-  
cem inferius & verticem supe-  
rius; aliae superius radicem, &  
inferius verticem. Unae requi-  
rebant operam & industriam  
hortulani, nam certis temporibus  
indigebant tonsura; aliae abs  
eo, quod manum artificis requi-  
rerent, se ipsas in eo servabant  
ornatu ac statu, quem postula-  
bat ab illis. Unae non moveban-  
tur, nisi fuissent impulsae a ven-  
to; aliae movebantur continuo,  
abs eo, quod afflatu fuissent ven-  
to vel minimo. Super unas cer-  
gebam



nebam infidentes aves, intra alias videbam natate pisces.

Hærebam mox ad ripam aquæ, hoc raptus prodigio, quod attentè considerabam, quodque sublimis meditationis mihi suggererebat materiam: interim, quem visitatum accesseram, mihi occurrit, & illicò me interrogat: quid volvis hîc animo? Magno videris occupari negotio, quod totam tuam defixam teneat mentem. Dicebam ipsi, quod res erat. Ecce tibi, aiebat mihi subridens, arduam sanè occupationem. Occuparis nempe aspectu visibilis nihili; an ignoras hanc esse illarum Cypressuum umbram, quæ spectatur in aquis? Videtur tibi quoddam hîc adesse corpus, sed verè non est nisi corporis umbra, quæ nec materiam, nec formam, nec aliquid solidi habeat.

Umbra est aliquid plus quàm nihil.

Verùm tamen oportet hîc, inquiebam ipsi, aliquid amplius esse, quàm purum nihil: Id enim videtur, discernitur, observatur ipsius figura, durat ac permanet, habet causam realem, à quâ producat, & ab illâ suam recipiat imaginem: Est hic effe-

ctus ita dependens à causâ suâ, ut si Cypressum aliquam succideris pulcher hic effectus ab ipsâ in aquis productus, quantocyus cum causâ suâ sit destruendus, nec tu amplius visurus sis, quod jam vides. Tandem igitur est aliquid, cum purum nihil non sit visibile, non habeat figuram, nec formam, nec causam se producentem.

Volebat ipse nihilominus per plures pulchras rationes è Philosophiâ desumptas mihi demonstrare, quòd esset id merum nihil, sed distinctione quâdam, quam etiâ approbavit, ipsius discursum abrumpi, dicendo: quod si comparetur hæc umbra cum puro nihilo, fateri is mihi debeat ipsam aliquid amplius esse, quàm nihil: Verùm si comparetur cum corpore, cujus umbra esset, & ego lubens fatear, eam nihil esse. Hâc ergo ratione inter nos conventum est, cum materia tam macra non mereretur, cui immoraremur diutius: Nihilominus ex his umbris desumpsimus ansam nos elevandi ad sublime Lumen Cognitionis Essentiæ Dei, sicut videbis.

## ARGUMENTUM.

1. *Creatura sunt umbra quedam Essentiæ Dei, in cujus cognitionem deducunt.*
2. *Deus amat, & præsequitur*

- hanc umbram Essentiæ suæ.*
3. *Quamdiu Creatura præsequitur umbram Dei, ipsius veram Essentiâ dimittit.*

K 2

ARTI-



## ARTICULUS I.

Existencia  
Creaturam  
est umbra  
existentie  
Dei.

**N**onne ejusdem ferè rationis est, quod dicere solemus; omnes Creaturas aliud non esse, nisi parvas umbras Existentiæ Dei? Videmus illas, tangimus illas, habent durationem suã, magnitudinem suam, formam & figuram suam, & nemo dubitat, quin sint aliquid. Verùm videmus etiam, quòd esse habeant nonnisi valdè tenue, quòd non existant à semetipsis, sed quòd dependeant ab aliquo alio, ut sint, quod sunt: Siquidem cur ipsæ quandòque sunt, abs eo, quòd esse voluerint, & exinde non sint amplius, quando esse vellent, nisi quòd dependeant à voluntate alterius, ut sint vel non sint? Cur ipsæ sunt talis naturæ, talis formæ, aut figuræ, quam in aliam mutandi facultatem non habent, nisi quòd alterius subdantur voluntati, qui illas facit esse, quod vult? Hoc aliud non est, nisi umbra, quæ sequitur corpus, cujus est umbra, quæque tam absolutè ab eo dependet, ut habere non possit nec magnitudinem nec figuram, nisi quam dederit illud.

Interea, quemadmodum ex umbræ aspectu mox infallibiliter concludimus: Ergo debet adesse corpus, quod producat hanc umbram; ita etiam ex aspectu Creaturarum, quæ habent esse tam tenue, tam dependens, tamque

omnibus modis limitatum, necessariò concludere oportet: Ergo datur aliquid esse supremum, independens & necessarium, quod Creaturæ levem hanc entis participationem tribuat. Sed quemadmodum videmus, quòd umbra ferè nihil sit respectu corporis, quòdque licet in propriã suã naturã sit parum quid, & paulò plusquam nihil; nihilominus comparata cum corpore, cujus est umbra, magis accedat ad nihilum, quam ad Corporis naturam: ita verum quòque est, quòd, licet Creaturæ habeant aliquid essendi genus, quo extrahantur è nihilo, & eleventur super illud; nihilominus si in comparisonem veniant cum magnitudine Essentiæ Dei, cujus sunt umbræ, magis nihilo, quam Essentiæ Dei appropinquent.

Ratio est, quod non invenia- Creatura magis distat à Deo, quam nihilum à Creaturã.  
tur juxta certiore[m] Philosopho-  
rum opinionem, distantia abso-  
lutè infinita inter nihilum &  
Creaturam. Econtra verò hæc  
tota involuta sit nihilo, id est, de-  
fectibus & imperfectionibus in-  
numeris. Et licet accipiatur to-  
tum esse cum omnibus Creatu-  
rarum simul unitarum perfectio-  
nibus, tantum tamen abest, ut  
procul absint à nihilo, ut magis  
illi adhuc immergantur, siqui-  
dem infinito modo semper plu-  
ribus carebunt perfectionibus,  
quàm



quàm illarum possideant. Sed necessariò reperire est distantiam absolutè infinitam, & si ita dici posset, plusquàm infinitam Deum inter & Creaturam; quia cùm Deus sit Ens infinitum, includens, in se omnem infinitatem perfectionum infinitarum, nihil habet in se, neque ex nihilo, neque ex Creaturâ: sic ipsa, quæ tam propè accedit ad nihilum, infinito modo distat & elongatur ab Essentiâ Dei: Et hinc est, inani nos labore frangendos, si eò temeritatis progressi, quandam formare vellemus magnitudinis Essentiæ Dei idæam. Quando de ipso loquimur, hoc semper fit modo tam abjecto, tamque infirmo, ut more infantium hæsitamus linguâ, titubemus, balbutiamus. Hinc Sanctus *Gregorius* æquisimo jure dixit, quod, ubi primum de Deo loqui volumus, experiamur, nos non esse, nisi nihilum, loqui volens de Ente infinito, eo, quod quamprimùm ab immensâ magnitudine & majestate ipsius deglutiamur ac devoremur. *Cùm Homo de DEO loqui cæperit, illicò quàm sit nihil, ostenditur, quia Magnitudinis ejus immensitate devoratur.*

Sed nunquid maximo nobis honori sit, solummodò nos umbram esse Essentiæ Dei? umbra inseparabilis est à Corpore, ipsumque ubivis locorum sequi-

tur; Et Creatura inseparabilis est à Creatore suo, nec ulli nisi ipsi debet obsequi. Si Regis umbra prædita foret, intellectu, nonne se maximè obstrictum, intelligeret tanto Monarchæ, quòd in ipsâ se depingere & effigiare fuerit dignatus? Et nonne maximè reverenti ferretur erga ipsum amore? O quanto jure dicendum sit, Excellentias infinito modo amabiles complecti essentiam Dei, cùm sola ipsius umbra, quæ respectu ipsius nihil est, tam sit amabilis, ut ipsemet Deus ipsam Magni faciat, ipsam amet, ipsam quærat, ipsi blandiatur, & summo teneatur ipsam possidendi desiderio.

Finxerunt antiqui, *Narcissus* Narcissus currebat post umbram suam. sum tam infano erga umbram suam exarisse amore, ut amoris cæcus hanc ipsi depinxerit velut incomparabilem quandam pulchritudinem, ut is proiade non nisi pro ipsâ habere oculos videretur. Non intermittebat suspiria coram illâ emittere; sed hæc quasi suspiria suspecta habens, monstrabat se illi insensibilem, loquebatur ipsi, sed ipsa loquenti non respondebat; ora laxabat in preces, sed ipsa se exhibebat inexorabilem: Avebat impotenter ipsam amplecti, & currebat post ipsam, sed ipsa terga vertebat impudenti proco, quem elisit ac elusit fugâ, ne se posset assequi. Tandem



Inutilis hujus prosecutionis affectus tadio, exhaustis tanto labore viribus, seque ab imaginariâ hâc pulchritudine contemptum videns, & ipse iratus illi terga vertit, in aliam diffugiens partem. Et umbra quasi facti poenitens inlequebatur & currebat post ipsam, sed vano labore, cum nec ipsa ipsum assequi potuerit.

Deus cur-  
rit post  
Creaturam  
suam,

Ah! quàm timendum est, ne hæc fabula fiat pro nobis vera parabola, hoc figmentum pro nobis funesta veritas! Nos non nisi umbra sumus, & quidem tenuis valdè, Essentiæ Dei; Et nihilominus ipse amat hanc umbram, velut suo obcecatus amore. Sit venia verbo, O Magne DEUS! dum audeo sic loqui. Putat is videre in nobis pulchritudines suis dignas oculis, quin & ipse bonis ac donis nos cumulat, quæ merentur affectum cordis sui; ipse querit, lenocinatur, conatur lucrari hanc umbram; & ingrata non agnoscit tantam, quâ ipsam prævenit, benignitatem; Ipse accelerato accurrit gradu, sed ipsa se fugâ proripit: tam inflammato ipsam possidendi, seque intimè cum ipsâ uniendi ardet desiderio, ut eòsque se dimiserit, quatenus & ipse, sicut ipsa umbram indueret, umbra rotus cum ipsa evaderet: hinc & divinâ suâ immensitate depo-

sita & consultò absconditis Majestatis suæ splendoribus, propriis ipsius vestimentis se voluit amicire, ut amicus non tantum ipsi, sed in naturâ fieret equalis, & aequalitate, quæ amicos parit, tantò potentiùs ac potentiùs ipsam lucraretur; ast ingrata post tot ac tantas prentationes, aucupationes, captationes, semper mansit dura, dira, ferrea, fera, abs sensu, abs affectu, abs effectu: Et licet ipse infinitis suavissimarum gratiarum suarum sollicitationibus ipsam prosequi non desisteret, sed decumanis & gigantæis adhuc post ipsam gressibus curreret; ingrata tamen non respondit, sed magis magisque semper proterva, suosque prosecuta errores, vocantem sequi neglexit, despexit. Nonne meritò timendum sit, ne & ipse tandem inutilis hujus prentationis pertæsus, ac æquisimo jure irritatus, à volatili hâc umbrâ despectum se videns, eidem terga vertat, ipsamque deserat; Et exin ipsa, tardò nimis suum agnoscens errorem, labore irritò & ipsum requirat? Haud quaquam enim ipsum poterit invenire, quemcunque etiam ex se addiderit conatum, nisi prior ipse misericorditer requirere ipsam fuerit dignatus.

Jam undecunque desuman- Conversio  
peccatoris  
tur argumenta ad persuaden-  
dam



demon-  
strat exi-  
stentiam  
Dei.

dam veritatem Existentiâ Dei, vix aliquod invenias, quo magis manifestum, magis palpabile, magisque luculentum sit, quàm hæc requisitio, quâ Deus nostram quærit animam, & hæc fuga, quâ sæpius anima nostra fugit à Deo. Loquatur hic cor nostrum, & dicat Veritatem. Nonne verum est, quòd sæpius illud sentiat occultos, sed fortissimos ac validissimos motus & impulsus, quibus urgeatur ad faciendum, quod nolebat, vel ad non faciendum, quod volebat, si naturales suas sequeretur inclinationes? Unde veniunt ipsi motus hi? certum est, quòd non à se ipso, cum ipsi non sint naturales; quòd autem naturales ipsi, non sint, patet ad oculum cum naturales ipsius inclinationes oppugnent, illis adversentur, hisque se illud libenter vellet expedire, si posset. Resistit quândoque longo tempore, sed tandem cedit potestati, quæ superior sit voluntate suâ, per quam deducitur Fortitèr, quamvis suavissimè ad faciendum id, quod primitus nolebat, & hoc absque illâ humanâ persuasione, sed potius contra omnes persuasiones humanas, & omnes naturæ imperus, quibus poterat resistere.

Quæ potest hæc esse potestas voluntate hominis superior, quæ sic illi dominatur, eòque illam

deducit, ut faciat, quidquid hæc voluerit, nisi potestas summi ac primi entis, cum inter omnia entia nil homine sit superius, nisi solus Deus. Optarem unicum duntaxat hominem, qui experimento didicisset absolutam hanc potestatem superioris alicujus entis, supra voluntatem suam, ad asserendam & contestandam veritatem existentis DEI; sed horum habemus centies centena millia, & adhuc plura. Nam interrogat tot homines, qui longo tempore putruerunt in sordibus maximorum scelerum, post hæc autem emerferunt ex illis, ac Virtutum deinceps exercitio se totos manciparunt, unde hæc illis profecta & orta mutatio; affirmabunt tibi, fuisse se extractos & quasi avulsos è miserabili statu, in quo vixerant, à potestate quâdam superiore, cui rebellis ipsorum voluntas, post factam longo tempore resistantiam, tandem debuerit cedere, & hæc fuerit mutatio dexteræ Excelsi. Quod si deinceps diceretur illis non esse Deum, responderent cum S. Augustino, qui similiter expertus est Virtutem superioris hujus potestatis in conversione suâ: *Facilius dubitarem me vivere*. Non, dubitarem potius, me esse me ipsum, quàm dubitarem de veritate hæc; *Esse Deum, id Novi, id sensi, expertus sum potestatem ejus*



ejus super me, ipse Deus est Bonitatis infinitæ; morerer milites pro defensione magnæ hujus Veritatis.

Verùm si hæc tam manifesta est animabus bonis, magis adhuc luculenta est animabus scelestis: Nam unde venit, quod quanto cyus patrato crimine, licet hoc omnium oculos præter suos effugiat, puniantur? Quis est Judex, qui illas condemnet, qui internis illas afficiat suppliciis, contra quæ impossibile illis sit, se munire, illa à se propulsare, nisi quod reperire sit justitiam quandam infinitam, quæ tribunal suum erexit in omnibus animabus hominum? Hæc summo jure imperat, supremâ potestate dominatur tam magnis, quàm parvis, tam Monarchis, quàm ipsorum subditis, abs eo, quod vel unicus sit hominum in terrâ, qui ejus judicio subtrahere se possit, habet illa testes suos, qui contra sceleratos deponant, habet judicem suum, qui sententiam in illos dicat, habet satellites suos, qui illos torqueant.

Tormenta  
intiora  
max con-  
scientie  
ostendunt  
ad Deum

Ut quid, O Terræ Magnates, Magistratus supremi, supra quos nulla sit hominum viventium potestas, ut quid permittitis, vos judicari, vos condemnari, vos castigari, etiam super solia vestra, in palatiis vestris, etiam in medio prætoriani vestri præfidii? defendite vos ab inimico

hoc domestico, qui velut Criminosos vos habet; Vos, quorum est gratias conferre aliis, illisque è satellitum manibus eripere, vobis ipsis conferte gratiam, & ab illis, quæ toleratis, exsolvite vos tormentis. Non potestis hoc, vos dicitis, eò quod à superiore quâdam potestate hæc in vos detorqueantur flagella, contra quam ad defensionem vestram nulla vobis sint arma. Ah! quis potentior est vobis, nisi solus Deus! In vanum ergo inductis Atheos, ut dicatis, Deum non esse, cum etiam invitis vobis potentem ipsius sentiat manus, quæ vobis, quis sit, abundè declarat.

Quid interest, ingentem reperiri animarum obduratarum concipiam, quæ tam pacificè tam consolatè in medio maximorum scelerum vivunt, ut nunquam peccato commisso interiora hæc experiantur tormina, sed potius in patrandâ malitiâ maximam inveniant malaciam & voluptatem? Hæc mortuæ sunt animæ, carentes omni sensu, quasque tradidit Deus omnibus desideriis cordis sui, quod maximum funestæ derelictionis est supplicium. Quid interest, non habere has luculentam hanc veritatis experientiam, quod Deus sit? Cumulatè satis est, quam plurimas reperiri alias, quibus hæc tam manifesta sit, ut, licet vel-

lent,

Obduratio  
multorum  
non inva-  
lidat hoc  
argumen-  
tum.



lent, diffiteri non valeant, eo quod sortem suam deplorare & tormentis suis solatium quarere cogantur. Id unicum toti demonstrat mundo, Deum esse, supremum aliquod dari Ens, quod dominetur omnibus hominibus in terrâ, quod criminosos supplicio afficiat in præsentî adhuc vitâ? Hâc ratione requisitiones illæ, quibus Deus omnes tam innocuas, quam criminosas quærit animas, luculenter convincunt & persuadent veritatem Existentiæ Dei.

Ipsa peccata, quæ avertunt à Deo, ostendunt esse Deum.

Verum ipsamet fuga, quâ animæ sceleratæ fugiunt à primo & summo hoc Ente, manifestè id ipsum quoque demonstrat. Dicendum omninò est, omnia plena esse Deo, quia impossibile est animæ Deum fugere, non curre ad Deum. Locupletissimo hoc lumine instruxit Deus intellectum Sancti Augustini dicentis, quòd animæ nostræ nec unicum faciant gressum, nisi ad quærendum Deum, quòdque in maximis suis deviationibus, quin & in ipsis peccatorum suorum inordinationibus, ubi magis ab eo fugere videntur, ipsum quærant, quamvis modo inordinatissimo per peccatum causato, dum pro Deo suo acceptant, quod ipsorum Deus non est.

Siquidem quid anima in omnibus actis suis & factis quærit, nisi felicitatem suam? Nunquam

ad prosecutionem alicujus rei instigabitur, nisi in illâ aliquod conspiciat bonum, quo se beari ac felicitari posse confidat. Jam quid est quærere felicitatem suam, nisi quærere Deum? Siquidem impossibile est animam evadere felicem ac beatam, nisi possessione ultimi finis sui, quæ Deus est. Verum est, illam sæpius hallucinari ac errare, & cum in seipsâ sentiat insatiabilem famem erga bonum, videatque hujus parvas aliquas scintillas in Creaturis dispersas, magnâ illuc fertur aviditate, putans id esse, quod cor suum desiderat, cujus possessione se credit felicitandam, sed quanto citius advertit se deceptam, & quod invenit, non esse, quod quærebat. Illud ergò quæsitum aliò concedit, & ab unâ Creaturâ migrat ad aliam, sperans se inventuram, quod desiderat; Verum adhuc experitur, non amplexam se, nisi umbram, cui nulla felicitandi se sit facultas, nec illud esse, quod perquirebat: unde denudè progressa ulterius nullibi figit gradum, itque, reditq; in omnem se vertit partem, suamque ibi inquirens felicitatem, & cum nil inveniat, quo plenè satiari possit ex omni eo, quod sensibus hauritur, cum tota creaturarum multitudo non sit nisi aquæ stilla, respectu immensi voluptatum Oceani, cui epotando

L sitis



fitis ipsius par foret, ex eo, quod habeat capacitatem & appetitum tam vastum, ut non nisi possessione boni infiniti satiari ac repleti possit: hinc tandem sublatis in Cœlum oculis ac effusis gemitibus cogitur fateri: Ah! necesse est igitur inveniri aliud summum, quod non agnosco, supremum ac infinitum bonum, quod meam constituere possit Beatitudinem ac felicitatem. Hęc ratione proprię ipsius deviationes deducunt ipsam ad rectum iter, iterumque faciunt, ut, postquam fugiendo Deum se plurimum fatigavit, fugiat tandem & confugiat ad sinum Dei, quem dum vel leviter gustat, experitur tam sublimem, tamque solidam voluptatem, respectu illius, quam invenerat in Creaturis, ut proprio edocta experimento agnoscat & fateatur, quod sit Deus.

Deus facit  
omnia, ut  
se nobis  
manifestet.

O Deus Bone, quid non facis, ut te nobis manifestes! Tu nostris te oculis exponis in omnibus Creaturis tuis, velut in magno quodam aperto volumine, quę nobis annuntiant divinas perfectiones tuas, infinitā vocum varietate. Væ cœcitati nostrę, nisi te videamus! Tu interius nobis loqueris vocibus tam lucu-

lentis; Tu nos perquiris tam illecebrosis ac suavis blandimentis, ut voluntates vel maxime rebelles tuę lucreris voluntati. Tu nos deviantes à te, nosque præcipites in plurimum errorum abyssum actos sævis conscientię moribus flagellas, ut redeamus ad te. Et denique ingentem nobis præstas misericordiam, dum non permittis, ut solidam extra te inveniamus pacem ac voluptatem veracem. O bonitas! infinita Bonitas? quomodo non cognoscemus te post tot, tamque apertas, quas de veritate Existentię tuę habemus, experientias? Sed quomodo te non amabimus, post tam teneras, tamque continuas tuę erga nos amoris exhibitiones?

Videbam probè, illum, quocum conversabar, quia valde perspicax erat, non tantum inscientiis litterarum studio acquisitis, sed multò magis in cognitione rerum divinarum & Cœlo orationibus suis haustā, non omnimodam habuisse satisfactionem, cum me tam humiliter de Deo loquentem audiret. Incepit ergo ipse ad me loqui de Excellentissimis adorandi huius entis modo tam sublimi, ut audientem raperet in stuporem.

ARGU-



## ARGUMENTUM.

1. Essentia Dei probatur ex se ipsâ.
2. Infinita ipsius perfectiones non tantum sunt inseparabiles ab

- illius Essentiâ, sed sunt ipsa illius Essentia.
3. Felix anima, quæ possidebit Deum adeo magnum in omnem aternitatem.

## ARTICULUS II.

**I**ncepit à verbis admirandis Sancti Dionysii Areopagitæ in libro de Divinis Nominibus: *Deus neque erat, neque erit, magis autem neque est.* Divinus omnino hic vir, in arcanis divinis cognoscendis post Beatissimam Virginem & Sanctos Apostolos, vix non omnium expertissimus, in sublimi quodam sensu astruit nobis, quod Deus nunquam fuerit, & quod nunquam esse potuerit, quod nunquam futurus sit & nunquam esse poterit. Supra omnia autem verum sit dicere, quod non sit. Deus nunquam fuit, quia hic loquendi modus significat tempus præteritum, & in Essentiâ Dei præteritum nihil est. Ipse nunquam erit, quia hoc innuit tempus futurum, & respectu Dei nihil futurum dici potest. Ipse non potuit nec poterit esse, quia potentia non dicit actum, & Deus est actus purissimus. Et denique non est, eâ nempe ratione, quâ sunt omnia entia nobis cognita, quæ non habent, nisi esse actuale parvæ durationis, quæ mensuratur tempore.

Sed Deus est ens infinitum, æternum, incomprehensibile, totus actus, & tota perfectio. Oportet ipsum necessario tale esse habere: Nam si per impossibile tale non haberet, haberet privationem hujus esse, quod esset nihilum quoddam infinitum; & si nihilum infinitum esset, deglutiret & annihilaret omnia entia: nos non essemus & mundus non esset; non esset neque Creator, neque Creatura, cum per nihilum infinitum omnia entia excludantur, sed ad oculos videmus, quod hoc non sit.

Necessario oportet Deum esse æternum: nam si per impossibile fuisset aliquod instans, præcessisset hoc ens infinitum, debuisset aliquod non Ens infinitum ubique regnasse. Et si fuisset quoddam non Ens universale, omnimodum & absolutum, quod exclusisset omne Ens, quis potuisset hoc non Ens vincere, ad producendum Ens illud reale? Cum enim nihil fuisset, nisi universale illud non Ens, necessarium fuisset, vel ut hoc non ens produxisset è sinu suo aliquod

L 2      Ens,

Cap. 5.

Deus non fuit & nunquam erit.

Excellentia  
essentia  
Dei ostenditur  
ex opposito.



Ens, vel ut nunquam aliquid fuisset, nisi illud nihilum & non ens. Jam dicere quod nihilum sive non ens producat è sinu suo aliquid ens, est impossibile, cum potius illud destruat nihilum, sive non ens & ens sunt hostes irreconciliabiles, nec possunt simul stare, sed invicem necessario demoliuntur.

Quare Deus necessarius sit Ens infinitum.

Ulterius dicere oportet, quòd Deus sit ens necessarium, purus actus, quòdque habeat esse suum à se ipso: Nam si diceretur, quòd accepisset illud ab alio, quæreretur: Hoc aliud, à quo illud accepit? Si iterum ab alio, hæc quæstio semper rediret & procederetur in infinitum. Oportet ergò necessario venire ad primum aliquid ens, quod est à se ipso, & à quo sunt omnia alia entia. Nam si non inciperetur à primo, non veniretur ad secundum, nec ad tertium, nec ad ultimum, & tandem non esset aliquid ens, quia necesse est, ut omnia sequantur ex primo. Sed cum à se ipso sit ens necessarium, non potest esse limitatum, sed oportet infinitum id esse in omnibus; quis enim ipsi posuisset limites? Omne Ens, quod dependet à causâ, limitatum est ad certam aliquam naturam particularem, & ad certum perfectionis gradum, quia habere non potest, nisi id, quod à causâ suâ accipit. Sed supremum & primum en-

tium, quod causam non habet, habere nec potest quidquam, quod sibi & essentia suâ terminum aut limitem figat. Hoc est, quod Divinus Areopagita nobis explanat verbis hæc sub-

De Divin.  
Nom.  
cap. 5.

limibus: *Deus est simpliciter & incircumscriptivè, universo illo esse, quod est.* Non habet portionem alicujus esse, sed habet totum ac integrum esse.

Et Sanctus Augustinus præcipuus ex Ecclesiæ Doctoribus, loquens nobiscum de Essentiâ Dei, libro tertio de sanctissima Trinitate, mediationi nostræ magna hæc verba excutienda reliquit: *Deus est ipsum Bonum, non ab alio bono bonum, sed Bonum omnis Boni.* Affirmat, Deum esse Bonitatem per essentiam, nec recipere hanc Bonitatem ab alio, sed quòd ipse originem illius habeat in semetipso, quòdque illam dispertiatur aliis, prout sibi placuerit. Quando dicimus, Creaturas esse bonas, aurum esse bonum, solem esse bonum, fructus terræ esse bonos, non dicimus, illas esse Bonitatem ipsam, sed habere duntaxat levem aliquam bonitatis participationem, limitatam, & quasi angusto hospitio apud ipsas receptam, juxta diversam naturæ suæ conditionem. Non est, nisi solus Deus, qui in se ipso includat omnem abs ullâ limitatione Bonitatem; sed hoc ipsum adhuc est demissè nimis philo-

S. August.



philosophari de Majestate Dei. Si formare tibi volueris sublimem aliquem conceptum de infinito hoc ente, non tantum faciliter, sed etiam delectabiliter, rem ita institue.

Quomodo  
formari  
possit con-  
ceptus exi-  
mus de  
Essentiâ  
Dei.

Propone tibi plures res pulchras: pulchri sunt flores, pulchra est lux, pulchra sunt arva & nemora, pulchri sunt lapides pretiosi; quælibet harum rerum habet particularé suam pulchritudinem, & omnes simul multò majorem adhuc pulchritudinem habent. Verum si consideres pulchritudinem in se ipsâ, separatam ab omnibus his rebus particularibus, videbis, quod abs comparatione in majorem adhuc se extendat latitudinem, ita ut nec quælibet harum rerum, nec omnes simul, non solum ipsam non exhauriant, sed nihil quasi ex eâ participant respectu ejus, quod participandum adhuc ex illâ restat: Nam Deus producere posset infinitas alias Creaturas, quæ pulchræ essent eadem pulchritudine, quam tamen non exhaurirent, sicque conceptus hic pulchritudinis in seipsâ considerata, & ab omni subjectorum genere abstracta in infinitum excurreret, seque abs ullo termino extenderet.

Fac idem cum albedine; Lilia sunt alba, nix est alba, lac est album. Accipe omnia hæc alba; Verum est, quod participant aliquid ex albedine. Sed concipe

in intellectu tuo albedinem ab omni subjectorum genere abstractam, videbis illam tam sublimem, tamque amplam esse super omne id, quod album est, ut, si Deus crearet plurima millies milena millia aliarum rerum albarum, non tamen exhaurirent inexhauribilem hanc albedinis scaturiginem.

Idem facere poteris cum omnibus aliis perfectionibus, quas in Creaturis conspicias; cum fortitudine, cum bonitate, cum justitiâ, cum Sapientiâ. Videbis quidem aliquas omnium harum perfectionum scintillas diversis subjectis ac rebus communicatas, quas vocabis fortes & bonas, sapientes & justas; sed nulla ex his in particulari, nec omnes simul exhaurire poterunt omnem fortitudinem, omnem Bonitatem, omnem sapientiam, omnem justitiam, quin semper remaneat, unde multò plura aliis adhuc subjectis communicari poterunt. Quod si hæc ratione in intellectu tuo conceperis idæam fortitudinis, bonitatis, sapientiæ, justitiæ ab omni subjectorum genere separatam, & talem, qualis in seipsâ est, videbis ipsam esse aliquid universale, immensum, infinitum, quod nunquam exhauriri possit.

Nilominus cujuscunque magnitudinis illæ tibi videantur, tam parum tamen accedent ad

L. 3. infini-



Infinitudinem essentiae Dei, ut quasi ac propemodum nihil. Num quaelibet harum rerum ad summum habet esse suum particulare, abs eo, quod aliquod esse habeat infinitarum aliarum rerum: Albedo v. g. habet totum esse & totam essentiam albedinis, quae infinita est in ordine suo, sed non habet nisi illam solam: quia ipsa non est fortitudo, non est iustitia, non est Bonitas, non est sapientia, neque est aliquid aliud rei. Unico verbo dices, quid sit, quid autem non sit, toto die non poteris dicere. Sic loquere de fortitudine, de iustitia, & omnibus aliis rebus, de quibus formare potes aliquam Ideam abstractam ab omnibus subjectis particularibus, quarum quaelibet non habet, nisi esse suum, jam quid est hoc ens particulare, respectu originis omnium rerum; nec haec particularis res, nec omnes aliae, quae sunt vel esse possunt, unquam exhaurire poterunt scaturiginem rerum omnium, quia haec absolute infinita & inexhaustibilis est.

Vis ergo concipere ideam aliquam summam Magnitudinis essentiae Dei? Accipe omnes has res abstractas, pulchritudinem, albedinem, fortitudinem, bonitatem, iustitiam, & omnes alias; & considerans quamlibet illarum sigillatim non habere nisi levem aliquam participationem entis, sed limitatam & intra conditio-

nem naturae suae particularis inclusam, tolle naturam hanc particularem, hancque limitationem, & faciens altiore & majorem adhuc abstractionem ab omnibus hisce rebus universalibus, ita, ut consideres duntaxat Ens in seipso, cujus illae sunt tam levis participatio, & inveniatis magnum hunc Oceanum, & vastam hanc immensitatem entis, quod nec est limitatum, nec determinatum, nec dispersitum, nec compositum in semetipso: Et hoc est ens infinitum, est ens supremum, est Deus nobis incomprehensibilis, nobis prorsus ineffabilis.

Hinc est, quod Sanctus Dionysius Areopagita in libro de divinis Nominibus nobis scriptum reliquerit: *Deus est omnia, quae sunt, & nihil eorum, quae sunt; Cui Nomen nullum convenit, & omnia: dicit, quod Deus sit omnia, & quod nihil sit ex omnibus, quae sunt;* quodque omnia Nominum genera illi convenient, & tamen unum solum nomen ipsi sit proprium. Verum est, Deum omnia esse, quia cum sit ens infinitum & absque ulla limitatione, omnia sunt in eo, & omnia sunt ex ipso; aliam si ex ipso nil haberent, non haberent esse & nihil essent; Sed revera ipse nihil est ex omnibus, quae sunt extra ipsum, cum ipse non habeat esse limitatum, sicut ha-

bere

Cap. 4.

Deus est omnia & nihil est ex omnibus, quae sunt.

De f. Non Cap.

Nall Non omn men veai



bere videmus omnes Creaturas. Si dico Deum esse bonum, justum, misericordem, dico quidem veritatem, quia ipse est hæc omnia; sed quia hoc est loqui de ipso, sicut loqueremur de mille aliis objectis particularibus, quæ participant bonitatem, justitiam, misericordiam, hinc melius dicam, quod Deus sit Bonitas, Justitia, misericordia. Hoc elogium, includere omnem perfectionum infinitudinem in se ipso, absque ullâ limitatione, non congruit nisi ipsi soli: Verumtamen hoc est nimis abjectè adhuc loqui de Deo, si dicam, quod sit hoc vel illud, quasi esse ipsius determinare vellem ad Bonitatem, ad justitiam, vel ad quamlibet aliam perfectionem particularem. Esse ipsius infinito modo extollitur super omne id, quod dici potest in singulari; Et sicut dicit Divinus Areopagita. *Magnitudine suâ omnem transcendit infinitatem;* Melius de Deo loqui non licet, nisi simpliciter dicendo: *Deus est.*

De Divin.  
Nom.  
Cap. 9.

Nullum  
Nomen &  
omne No-  
men con-  
venit Deo

Sic verum est, quod nullum Nomen ipsi conveniat, eo quod nihil is sit ex omnibus, quæ nominare possumus, nec ulla Creatura pronuntiare possit aliquod Nomen, quod ipsius exprimat essentiam. Ipse solus, qui se perfectissimè cognoscit exprimere se potuit per Verbum

faum; & nihilominus imponere ipsi possumus omnia nominum genera, quia quidquid boni exprimere possumus per Nomen, quâ rem aliquam insignimus, perfectius est in Deo quàm in re ipsâ. Si exempli gratiâ vellet quis exponere excellentiam Solis illi, qui hunc nunquam contempsit, diceret ipsi: Ipse est ingens globus aureus, stupendum evibrans splendorem; est facula in Cælo accensa, totum illuminans mundum; est Clibanus ignis cœlestis, calefaciens & animans omnia hæc inferiora; Est Carbunculus scintillans, innumeros circulans radios, quibus cuncta illustrat & accendit fidera: Verum is quidem diceret, omnibus hisce nominibus exornans solem, cum reverà is possideat pretiositatem auri, lumen faculæ, ardorem ignis, fulgidos Carbunculi radios; Omnes quidem hasce perfectiones nobilissimum hoc sidus in se complectitur; si tamen proprio loquendi modo uti volumus, Sol nihil est ex his omnibus, sed est aliquid abs Comparatione nobilius.

Pari modo, quando exprimere volumus, quid sit Deus, loquimur ipsum pluribus augustis Nominibus. Dicimus ipsum esse ingens infinitarum perfectionum pelagus, supremam mundi Monarcham, splendidum aternitatis Solem, omnipotentem,

tem,



tem, inexhaustum Bonitatis Theaurum; Verum dicimus, dum attribuimus ipsi splendida hæc elogia, quia revera completur in se omnes excellentias hisce elogiis significatas: sic omnia genera nominum perfectionem aliquam significantia ipsi congruunt; sed, sanè nihil est ex omnibus, quæ nos vel putamus, vel dicere possumus. Ipse est ens ita omnes cogitationes hominum transcendens, ut nihil sit nominis, quod ipsius possit exprimere essentiam. Quomodo compellem te O mi Deus? quomodo loqui potero de te? Interrogatus quis sis, quid respondebo? Et si invocare te voluero, quomodo vocabo te in auxilium meum, O Deus meus, misericordia mea! nisi instruas cor meum in idiomate amoris, loquentis tibi, quin te nomet, invocantis te, quin utatur verbis, effundentis se coram te, quin aliud petat, nisi ut exhibeas illi misericordiam, quatenus totum possit esse tuum, totum absorptum in te, nec unquam amplius separetur.

Gaudium  
anime,  
quæ novit  
possessio-  
nem se De-  
um in æter-  
num,

O ineffabile gaudium piæ anime, cui tam magnus Deus semetipsum se promisit daturum in omnem æternitatem! O milles beatam animam fidem, quæ potest & debet habere fiduciam possidendi illum, si vixerit in timore & amore ejus, eo quod

promiserit hoc ille, qui fidelis est in promissis suis, nec quemquam fallere potest! Et tu O Anima abjecta, quæ non contendis dies noctesque ad assecutionem tanti honoris, nec eundem infinities pluris æstimas omnibus mundi rebus, quibus es affixa; si in tuâ foret potestate, in tuo arbitrio, formandi tibi summam aliquam felicitatem votis ac desiderii tuis conformem, thesaurum aliquem consolationum, honorum, voluptatum, quem in æternum possideas, & quidem talem, qualem optare & expectere posses, quâ ratione formares illum in imaginatione tuâ? Expande per amplam latitudinem, omnium desideriorum tuorum; Explica, distensam, quantum potueris immensam votorum tuorum amplitudinem, ad collocandum & recipiendum ibi bona quæcunque imaginabilia: Efforma tibi thesaurum locupletissimum, qualem & quantumcunque volueris ex dignitatibus, facultatibus, voluptatibus, jucunditatibus, & ex in adjunge centies, & post hæc milles centies tantundem, & agglomera, accumula, coacerva ex his montem à terris pertingentem usque ad Cælos. Et postquam omne tuum contuleris studium, ad effingendam tibi felicitatem, quam poteris maximam, videbis tandem hæc omnia



Omnia nihil esse nisi tenuem pulvisculum & parvam entis scintillam, respectu infiniti illius entis, & immensi ac inæstimabilis illius thesauri, nempe Dei, qui de se donando sponsonem tibi facit, ut pretiosa sit tibi possessio in omnem æternitatem.

Si quis tibi diceret: necesse est igitur pro requirendâ tam ingenti felicitate tot ac tantos subire labores, quantos quotidie omnes mundi affectæ subeunt pro comparandis bonis terrestribus; nonne affirmares, æquissimum hoc esse, eò quod summum hoc bonum absque omni comparatione longè sit majus ac excellentius. Et ecce quàm facilem tibi reddat is sui tum acquisitionem, tum possessionem, cum aliud à te nil petat, quàm ut ipsum non offendas, ipsum timeas, de ipso cogites, ipsum desideres, ipsumque diligas. O

Deus! An imaginari tibi unquam potuisses medium suavius, facilius, gratius; An ergo satis sit, cogitare de hoc bono infinito, illud cognoscere, illud desiderare, illud amare ex toto corde, & amando ac desiderando jam sit acquisitum, ubi est minimum terræ bonum, quod tam vili venditur? O anima mea, ad magnam hanc veritatem quid inquis? quæ tibi mens? Ecce totus boni infiniti thesaurus se tibi per omnem æternitatem possidendum promittens, pro pretio, aliud à te non requirit, nisi ut ipsum desideres, ipsum ames? O Deus! quantus tibi in æternum dolor, si te infiniti hujus boni privaveris possessione, ex reatu, quòd non amaveris ipsum! pondera hoc benè, pondera hoc benè, pondera hoc benè, & mori malueris, quàm ipsum non amare.

## ARGUMENTUM.

1. *Non tantum omnes Creatura, sed Nihilum ipsum suo modo attestatur & asserit Existentiâ Dei.*

### ARTICULUS III.

**H**ucusq; deveneramus, dum pius aliquis Ecclesiasticus junxit se nobis, & loquentes nos intelligens de argumento, quo ipsemet fuerat haud leviter oc-

2. *Qui negat esse Deum, est in deteriore statu, quàm sit ipsum Nihilum.*

cupatus, & de quo à diebus aliquot suas instituerat meditationes, factus est nobis, quòd quantum sublimius suum intellectum nitebatur attollere ad cognoscendum aliquid de Essentiâ Dei, tantò minus illuc accedere & M approxi-



approximare potuerit; sed postquam se valde humiliasset, & in suum descendisset nihilum, tantum acceperit lumen circa entis infiniti magnitudinem, mediante infiniti nihili ex aduerso eidem oppositi consideratione, ut nunquam quid inuenerit, ex quo maiorem de ipso haurire potuerit cognitionem.

Siquidem considero, dicebat nobis, quod, cum Deus & nihilum sint duo extrema non tantum in nullo convenientia, sed sibi invicem opposita, discurrere oporteat de utroque modo prorsus opposito; quodque quantos defectus cognoverim in puro nihilo, tantas perfectiones inventurus sim in essentia Dei. Ecce ergo discursum ipsius.

Eximia  
probatio  
Essentia  
Dei, per  
nihilum  
sibi oppo-  
situm.

1. Purum nihilum nihil habet entis, ne quidem atomum, nec unicam entis umbram; alias non esset purum nihilum: nunquam fuit, & nunquam erit; est impossibile, ut aliquid sit, vel minimam habeat perfectionem; hæc namque est puri nihili natura. Oportet ergo totum contrarium affirmare de Essentia Dei, quod nihil habeat de non ente, nec minimam quidem particulam, alias non esset purum ens; quod fuerit ab æterno, quod sit necessarium, & quod in æternum erit.

2. Infinitum nihilum est nulli, nec potest aliquem locum

occupare; nam si esset alicubi, esset aliquid: Nihil ergo potest facere & nihil potest dare; nam ut facere, quid possit, debet esse, & ut dare quid possit, debet id habere. Debet igitur totum oppositum dici de Essentia DEI; quod nimirum sit ubique, & omnia impleat; nam si aliquis foret locus, ubi non esset, esse ipsius mixtum foret, cum aliquo non esse. Est igitur omnipotens & potest facere, quidquid voluerit; potest etiam dare bona infinita, quia hæc possidet in semetipso.

3. Purum nihilum non est privatio alicuius rei particularis, sicut verbi gratia sunt tenebræ, quæ sunt privatio luminis in aëre; nec cumulus aliquis plurimum privationum, sicut essent surditas in auribus, cæcitas in oculis, ignorantia in intellectu, vel mors in animali, sed est privatio absoluta, universalis, omnimoda, quæ universaliter excludat omne essendi genus, quaecumque tandem esse posset. Omnino ergo contrarium asserendum est de essentia Dei; quod nimirum ipse non sit ens aliquod particulare, sicut verbi gratia lumen; nec cumulus plurimum entium, sicut foret ens spirituale, vel ens corporale, esse hominis, vel esse Angeli. Sed est ens infinitum, transcendens omne ens particulare, & includens in se om-



se omnem latitudinem entis, ac universaliter excludens omne genus non entis, quaecumque esse possit.

4. Nihilum infinitum est tam miserabile, ut nihil adjicere posses ejus miseriam, nec ex hac vel minimam particulam inveniueris, quin absolutè illud destrueres. Non posses aliquid adjicere, ad reddendum id miserabilius; siquidem, quam negationem novam illi attribueres, cum jam omnes in seipso includat? Non posses etiam quidquam ipsi demere, quin destrueres, quia ut ipsi aliquid demas ex puro suo nihilo, oporteret ipsi dare aliquam particulam entis, & si haberet vel minimum atomum entis, non foret amplius purum nihilum. Discurrendum ergo est prorsus ex opposito de essentiâ Dei, & dicendum, ipsum esse tam plenum, tamque divitem bonis & perfectionibus infinitis, ut impossibile sit, vel ipsi aliquid adjicere, vel ipsi quidquam adimere, quin destruat. Non posses ipsi aliquid adjicere, nam quid novi ipsi adjiceres; cum jam includat omnem infinitudinem entium in semetipso: vel quam entis particulam posses ipsi adimere, quin ibi relinqueres vacuum, quod esset aliquod non ens? Sic amplius non esset purum ens, nec

ens infinitum, adeoque non amplius esset Deus.

Volebat profèqui hasce antitheses & oppositiones inter nihilum infinitum, & esse infinitum Dei; sed interrogando interpellavimus ipsum: An credis doctrinam hanc, quæ reverà pulchra est, & si benè capiat, intellectui formare potest pulcherrimam idæam essentiæ Dei? An credis ipsam sat validam esse ad convincendum aliquem Atheum, vel persuadendum alicui Religionis contemptori, ut adhæreat veritati, quòd Deus existat? Inveni quempiam ex his, aiebat nobis, cui cum eundem ferè discursum proposuissem, hanc super addidi propositionem, quæ mox ipsum continuit. Tu asseveras non esse Deum, & ego assevero esse Deum, quis nostrum beatior est? Cujus melior est conditio? Ego bonum habeo infinitum, dum habeo Deum; & tu malum habes infinitum, dum es privatus Deo. Ego bonum habeo immensum, quod ubivis invenero, bonum omnipotens, quod ubique me poterit conservare, me defendere, me protegere, & omnibus meis prospicere necessitatibus, bonum omnino purum, quod cum non sit nisi bonitas, non cessat benefacere, me afficere gaudio, ac replere solatio; Et tu habebis nihilum

Qui credit in Deum, felicissimus est, qui non credit, miserimus.



in infinitum, quod nulli est imbecillitatem infinitam, quæ nihil potest, abyssum miseriarum, quæ nec gaudium, nec solatium tibi potest afferre. Habeo ego refugium ad ens infinitum, ad Bonitatem infinitam, quando in meis afflictionibus refugio mihi fuerit opus, quod ipso opere mihi præstabit, & potenti aderit auxilio; Suppetat & sit tibi refugium ad tuum nihilum, & videbis, quas ferre tibi poterit suppetias. Unico verbo, dum ego credo in Deum & tu non credis, ejusmodi nostra fors est & partitio, quod ego habeam omnia, & tu nihil. Ecce magnum quod refers emolumentum, dum agis Atheum, negando veritatem existentis Dei.

Respondit mihi audacter: Ego magnæ imputo stoliditati, quod imagineris tibi Deum, qui sit Omnipotens, qui ubique te videat, quamvis tu non videas ipsum, qui re offendatur minimâ, qui que te puniat, dum quidquam feceris, quod ipsi displiceat? Hoc est superimponere capiti tuo jugum insupportabile, durâ te ipsum constringere servitute, quæ velut mancipium te torqueat, tuâque te exuat libertate, quâ exutus exuaris quôque facultate vivendi feliciter ac beatè, tuisque pro arbitrio tuo satisfaciendi propensionibus ac votis. Tu, qui credis in Deum, nunquam non vivis

in imaginatione, in metu ipsi displicendi, & in timore suppliciorum ipsius; Ego, qui non credo, vivo absque timore, absque vi, absque coactione, nihilque me impedit, quin mihi satisfaciam in cunctis, vivamque beatus Putabat, se mira dixisse, & rationem allegasse irrefragabilem.

Verum nonne cernis, inquit, eam ipsi, quod tuo te gladio jugales ac temetipsum condemnas? Nonne vides hoc fieri ex timore habendi testem, judicem ac censorem actionum tuarum, quod credere nolis, esse Deum? Non nisi sceleratorum est, metuere oculos judicis: qui benè agit, non habet, quod timeat censuram potestatis alicujus superioris. Non fuit, nisi maxima morum depravatio, quæ inducere potuit animo errorem tam abominabilem; Non fuit, nisi intolerabile tormentum conscientia exprobratione scelerum suorum immaniter cruciata, quæ desperata animæ quædam eò impietatis fuerunt reducta, ut potius vellent privari Deo, quam sua dimittere peccata, cum hæc conservare non possent in animabus suis cum firmâ fide in Deum infinito modo justum, quia supplicium continuum, & vivum veluti infernum circumferrent in animo suo. Nam quandiu illis in animâ ad-

huc

Qui negat Deum, fatetur hominem esse pessimum,



huc remanet aliqua divinitatis memoria ac cogitatio, quomodo vel unico momento, quiete ac gaudio fruantur, scientes: Ego sum in manibus omnipotentis Dei, cujus justitia est inexorabilis, quisque pro multâ scelerum meorum præparatos servat ignes æternos, hoc non fit, nisi ut expediant se molestâ hâc persecutione, quâ tamen longè crudeliorem inferunt Deo, contententes, quamvis in vanum, sibi persuadere, ipsum non esse.

Nemo negat existentiam Dei, ut evadat melior,

Quis enim est, qui sibi unquam formârit cogitationem tam impiam, ut evaderet melior, virtuosior, æquitatis studiosior? Nonne potius è contrario ad assequendum plus libertatis impunè peccandi, dum persuadere sibi possunt, non habere se testem, nec Judicem, nec vindicem actionum suarum, dum interim illi, qui virtuti ac pietati student, maximum in eo inveniunt solatium, quod firmiter credant, Deum esse, qui vitæ ac morum suorum testem agat, qui innocentiam suam agnoscat, quisque bonis operibus suis æternas præparet, ac disponat coronas? Anticipatus hic Paradisus est, gaudere jam testimonio conscientie suæ, & sublimi pace, quâ Deus illos perfundit ac consolatur. O quàm jucundum est bonæ animæ, nôc-

se: habeo Patrem Cœlestem, quæ adornet mihi hæreditatem suam in regione beatâ, ubi ardentissima cordis mei desideria implebuntur abundè, & hæc hæreditas est Deus ipse. Jamjam voluptuosè se nutrit hâc spe, quæ falli non potest, nec vana esse, cum innitatur promissis infallibilibus veritatis infinitæ. Jamjam cor suum & cuncta desideria sua dirigit eò, ubi est thesaurus suus, dum interim terram ac terrena omnia pedibus suis substrata conculcat ac contemnit.

O Civitas Sancta, patria mihi Charissima! O Palatium augustum, ubi gloria Patris mei Cœlestis, tantâ cum Majestate suavissimis plena illecebris resurget! O mansio manans gaudio, quo replet omnes beatos! Ah! quando tuas mihi portas aperies ad aggregandum me numero habitantium in te? Quàm dilecta ac delicijs plena sunt tabernacula tua, Domine DEUS Virtutum! Concupiscit ardentè, & deficit anima mea, delectam se videns ad portam, & beatam Dei sui possessionem dilatam sibi ac prolongatam. Verum est, quod amodò quiescam in sinu ipsius, ipsum jam intuear oculis fidei, ipsum jam amplectar Sanctæ Charitatis brachijs. Ipse amat me, & ego amo ipsum, ipsum dat se mihi ex bonitate;



nitate; & ego ipſius ſum ex  
juſtitiâ: Sed cor meum non ſa-  
tiabitur, quoad ipſum viderit in

gloriâ ſuâ: *Satiabor, cùm ap-Pſal. 16,  
paruerit gloria tua.*

## ARGUMENTUM.

1. *An veri Athei inveniuntur in mundo,*
2. *Unde veniat, quòd plures dicant, ſe Atheos non eſſe, nihil-*

*ominus more Atheorum vi-  
vant.*

3. *Quicumque firmitè credit, quòd Deus ſit, demonſtrat id per opera ſua.*

### ARTICULUS IV.

**M**aximâ cum conſolatione  
audiebamus doctrinam, &  
ardentem intuebamur Zelum  
Religioſi hujus Eccleſiaſtici; &  
Credens theſaurum hunc nobis  
miſſum eſſe à Deo, ad haurien-  
dum ex eo pretioſas opes, indaga-  
vi ex ipſo, an meritò credamus,  
veros aliquos Atheos inveniri in  
mundo, cùm veritas de exiſten-  
tiâ Dei tam manifeſta, tamque  
luculenta ſit, ut videatur igno-  
rari non poſſe ab ullo homine in  
terris; nihilominus tamen con-  
ſpiciamus, quàm plures ita vi-  
vere, quaſi neſcirent omninò,  
Deum eſſe.

*Impoſſibi-  
le eſt, eſſe  
unicum  
verum  
Atheum.*

Reſpondebat mihi: ſi verum  
Atheum nuncupes illum, qui fir-  
miter perſuaſus ſit, non eſſe De-  
um, & hoc tantâ cum certitudi-  
ne, ut nullum deſuper dubio re-  
linquat locum, certum eſt, non  
ſolum talem non reperiri, ſed  
nec reperiri poſſe in mundo.  
Ratio eſt, quòd nunquam intel-

lectus certus eſſe poſſit in cog-  
nitione ſuâ, niſi illuſtretur veri-  
tate, cujus ſibi demonſtratio fa-  
cta ſit per cauſas vel effectus  
ſuos, tam evidens, tamque lu-  
culenta, quæ oculis ſuis plenam  
afferens lucem expellat indo-  
mne dubium, eâ prorsus ra-  
tione, quâ Sol expellit tenebras:  
ſiquidem ſcientia deſcribitur,  
quòd ſit *Cognitio certa & evi-  
dens rei per principia & Cauſas.*  
Jam dicere, quòd non ſit Deus,  
non eſt rem cognoſcere, ſed eſt  
illam non cognoſcere; de hoc  
autem non poteſt fieri demon-  
ſtratio per cauſas ſuas, quia  
quod non eſt, cauſas non ha-  
bet; ſed nec poteſt fieri per ef-  
fectus ſuos, quia ſimiliter, quod  
non eſt, effectus non habet. Im-  
poſſibile ergò eſt, hanc propo-  
ſitionem quæ audita ſolummodò  
horrore percellit, *Non eſt Deus,*  
conſtituere cognitionem cer-  
tam & evidentem in intellectu;  
Cùm nemo hominum de illâ fa-  
cere



cere possit demonstrationem certam per principia & causas sua.

Qui dicit, verum esse, quod non sit veritas, affirmat aliquam veritatem.

Vel si quis pertinaciter affirmare vellet, veritatem certam & evidentem etiam haberi posse de eo, quod non est, sicut de eo, quod est: Nam Exempli gratiâ, æquè certus sum, non esse mare ex auro potabili, sicuti certus sum esse aliquod ex aquâ Elementari; huic responderem cum sancto Thoma, quod veritas tam fortis sit, ut, qui putat se eam oppugnare, ipsam defendat, quique illam negat ipsam confirmet, & qui ipsam demoliri & funditus evertere nititur, necessariò illam stabiliat: Nam si dicas, verum esse, quod veritas non sit, confirmas aliquam veritatem, quia pro veritate tenes, quod veritas non sit. Si igitur loquendo de primo ente, quod Deus est, acriter defendas, verum esse, quod ipse non sit, dum destruere vis primam veritatem, necessariò primam veritatem confirmas. Et quia veritas est aliquod Ens, primum Ens negare volens, primum Ens confiteris.

Si dicas: sed hoc primum Ens, & hæc prima veritas, quam defendo, non est Deus; nam ex adverso fateor, verum esse, quod Deus non sit: Nonne vides admirabilem triumphum primæ veritatis super imbecillitatem intellectus nostri? dum ipsam te fugere credis, incidis in manus

ejus: Tu ipsam oppugnare contendis, & necessariò ipsam confirmas: Nam si loquendo de primo Ente & de primâ veritate, ponas velut certam & constantem veritatem, ipsam non esse, nonne vides veritatem, quæ respiciat primum Ens? Tu putas hoc esse, ad illud negandum, illudque destruendum, & profusè contrario illud consolidas, illud confirmas: siquidem si ponas mihi primam aliquam veritatem, ponis mihi primum aliquod Ens, quia omnis veritas est ens, & quicumque cognoscit primam veritatem & primum Ens, cognoscit Deum. Sicque iniquitas jugulat semetipsam, juxta effatum Vatis: *Mentita est iniquitas sibi.*

Psal. 26.

Sed ad ostendendum tibi demonstratione magis palpabili, magisque sensibile esse, quod vel unicus & verus Atheus sit in mundo; Quæro ex te, unde illum accipies? ubi illum invenies? hoc esse non poterit, nisi vel inter doctos vel inter indoctos. Dicere hominem doctum esse posse Atheum, est impossibile; siquidem scientia aliud non est, quàm cognitio certa & evidens effectuum per causas suas.

Homo doctus non potest esse Atheus.

Quod si cognoscere studeat causas omnium effectuum, interrogandum tandem erit, quænam sit prima causa omnium rerum conditarum, quænam sit potens hæc manus, à quâ fabri-

breferi



breferi & ædificari potuerit ingens hæc moles universi; quinam sit intellectus tam perspicax, qui redigere ipsum potuerit in ordinem tam concinnum; quænam sit hæc sapientia, quæ regat ipsum tantâ cum æqualitate ac moderatione, ut tota ipsius Oeconomia post tot sæculorum, quibus durat, decursum, nunquam aliquam incurrerit exorbitantiam ac inordinationem; Et tandem inveniet primam aliquam causam, primum aliquod Ens, id est, inveniet Deum. Et hoc supremum Cognitionis est fastigium, quo Philosophi gentiles pertingere potuerunt, solâ discursuum naturalium virtute.

Jam quod fastigium est & culmen scientiæ naturalis, est velut Basis & fundamentum fidei divini, siquidem prima veritas, quæ nobis credenda proponitur; est, quod Deus sit. Per primum hunc articulum scientiæ & fides uniuntur, & eadem veritate quasi sibi invicem concatenantur; Id quod est finis scientiæ, est initium fidei. Quâ ratione igitur homo doctus esse possit Atheus, eo quod, ubi desinit esse doctus, incipiat esse fidelis; quod scientia ipsius illi demonstrat de veritate primi Entis, hoc fides illum docet modo longè sublimiori; ab unâ cognitione progreditur ad aliam, quæ tam per-

fectè uniuntur ad afferendam magnam Lucem intellectui ipsius circa veritatem Existentiæ Dei, ut cessare non posset esse fidelis, quin pariter cesset esse doctus, nec negare veritatem Existentiæ Dei, quin ostendat se doctum & sapientem non esse, cum hoc esset ignorare rerum omnium causam primam: & consequenter impossibile est vel unicum verum Atheum reperire inter doctos.

Indocti & ignari, qui reguntur magis instinctu naturæ, velut bruta animantia, quàm discursibus intellectus; velut Philosophi, minorem adhuc capacitatem habent, quâ Athei esse possint; siquidem cum se motibus ac affectibus naturæ permittant, in certis occurrentiis manifestè produnt, probè se scire, quod Deus sit, quamvis hoc à nemine didicerint. Quare enim extollunt oculos ac manus in Cælum, quando magnâ & inopinatâ aliquâ obruuntur adversitate? Nonnè videmus, quod, antequam deliberent, quid sibi faciendum; ex instinctu naturæ deliberationem animi præveniente ex improvviso & subito exclament: *Mi Deus! O Deus vive! Ah! Magne Deus!* post hanc tam promptam, tamque liberam ipsius naturæ agnitionem, quâ fertur hic homo ad invocandum Deum suum in necessitate

Homo in-  
doctus mi-  
nus adhuc  
est: potest  
Atheus.



sitate sua, nonne sibi ipsi contrariaretur, si quem invocat, negare audeat?

Apoc. cap.  
26.

Hinc est, quod Tertullianus, admirans fidelitatem, quâ Dei opus suum cognoscit Authorem, attonitus exclamet: *O Testimonium Anima naturalis Christianæ.* O ingenuam confessionem! O Testimonium irrefragabile naturæ, quæ asserit ex instinctu, quod offerunt Christiani per fidem! Opus est fraude malitiosâ, vel studiosâ, ut aliquis vel esse, vel Atheum simulare possit; & quia indocti ejusmodi malitiæ minus sunt capaces, tantò magis & longius ab sunt ab eo, ut Atheorum numero possint aggregari. Ex hoc concludere & deducere mihi pronum est, maximâ cum difficultate verum Atheum in mundo inveniri posse, ubicunq; quæsieris ipsum, sive inter doctos, sive inter indoctos.

Non credere firmiter existentiam Dei, est ex parte Atheismus.

Sed unde oritur, inquit ipsi, tantos reperiri in mundo, qui vivant velut Athei, ita ut omni tum cognitione, tum timore Dei videantur exuti? Ad hoc respondebat mihi: Si Atheos reputes non solum illos, qui tueri ac propugnare audent, non dari Deum, sed & illos, quibus non adeò firmiter persuasa est veritas de Existentiâ Dei, quique illam non satis vivaciter in animum inducunt, fate-

or, quòd talium plena sint omnia: siquidem innumeros videre est, qui non nisi tam tenuem tamque confusam de Deo cognitionem habent, ut tantundem propemodùm sit, quasi illo prorsus carerent. Ut verum fatear, pro certo non tenent, existere Deum, sed fluctuant, nutant, in dubium vocant: Nam præterquam experiantur aliquem occultum intra semetipfos instinctum, videantque hâc omnes viâ ambulare, sequuntur in hoc inclinationem suam naturalem & aliorum premunt vestigia, abs eo, quod de ulteriori se angant informatione, cum non sit res, quo ipsis cordi sit & curæ, utpote quæ tanti non sit ponderis in eâ, quam tenent, vivendi ratione, ubi abundè suam inveniunt satisfactionem, abs ullâ de Deo cogitatione.

Tertullianus dicebat, Cognitionem Dei datam esse animæ, velut usufructuariam à Nativitate ipsius, vi cujus Deus nunquam sit absconditus, nunquam datus oblivioni, semper cognitus, semper manifestus, nunquam non in notitiâ & scientiâ hominum. Si nihil magis visibile nostris est oculis, quam omnium luminum origo, nempe sol; sic magis visibile nihil est intellectui nostro, quam prima veritas, nimirum Deus. Interim quasi peccatum omnes ho-

Adversus  
Marcionem  
lib. I. c. 10.

N  
minum



minum animos funestis obduxifet tenebris, nil minùs cognoscitur, nil minùs videtur, quàm Deus. Ratio hujus, quæ dari possit, est, quòd nonnisi duæ ipsum cognoscendi sunt viæ; vel scientia valdè sublimis, quæ cognoscatur naturaliter, vel viva fides, quæ cognoscatur supernaturaliter; Jam quis ignorat, quanta utriusque sit raritas & infrequentia inter homines.

Quare Deus parum cognoscatur per scientiam naturalem,

Nam si quæstio sit de sublimi hæc & abstrusâ scientiâ, quæ mentem extollit usque ad inquisitionem primi Entis, ad cognoscendum illud naturaliter, ubi inventas, qui seriò huc animum intendant, mentemque appellent? Homines plerique suas gerunt animas totas immerfas sensibus, totasque rebus, quas vident, quas tangunt, occupatas. Si quandoque utantur ratione, non appellatur hæc nisi ad res vitæ præsentis, nonnisi ad expedienda negotia, ad addiscendam aliquam artem, sive mechanicam, sive liberalem, vel ad studia literarum humanarum, vel ad aliam quandam vanitatis plenam curiositatem: Et omnes his insudant, his immorantur, ut quasi vix unus se attollat ad cognoscendum Deum virtute ratiocinii & rationis, quamvis hoc factu non sit difficile. Et hæc ratione dici potest, Deum nullatenus cognosci ab homini-

bus virtute scientiæ naturalis. Et quando etiam cognoscere- tur hæc viâ, id cognoscendi genus, quòd solummodò naturale est, cui bono serviret, nisi ad satisfaciendum curiositati, & producendam exterius vanam quandam verborum ostentationem, abs eo, quod animo veram insculperet supremæ ipsius Excellentiæ æstimationem, & verum voluntati infinitæ ipsius Bonitatis amorem?

Quod concernit fidem, quæ infusâ lux est, nequaquam ab humanâ ratione producibilis, sed quam nobis Deus de Cœlo mittit idèd, ut attollat nos super rationem nostram humanam, nosque deducat ad sui cognitionem, sicut stella deduxit Magos ad inveniendum illum in præsepi suo. Verum quidem est, omnes Christianos hanc recipere in Baptismate suo; sed hoc est, quasi quis committeret pretiosum semen visceribus terræ, abs eo, quòd hoc adverteret. Quid utilitatis ex hoc dimanat in illos, toto infantia tempore, dum nondum fruuntur rationis usu, fidem habent, ac si non haberent; nam hæc non obstat, quin vivant parvorum animantium more. Quando ratio incipit paulatim sese explicare sensibus, & propriis suis operam navare exercitiis, instituitur novus hic Christianus in addiscendis quibusdam

Quare Deus parum cognoscatur per fidem.



busdam verbis, id quod fides docet, significantibus, ad deducendum ipsum in Cognitionem Dei, quæ dum memoriter recitat, dicitur optimè instructus in articulis fidei, hósque ad amissim callere; sed non nisi verba callet, quid autem significant, nullatenus capit, habet is quidem fidem, loquitur etiam idiomate fidei, sed pro ipso idioma est barbarum, ubi nihil intellexit.

Sufficit ipsi, quod dicat, Christianum se esse per gratiam Dei, eò quod ita loqui fuerit edoctus: sufficit ipsi, quòd nôrit effari quædam, quæ innuant præcipua Religionis suæ Mysteria: De reliquo ad illos se refert, quorum fert conditio & institutum illa nôsse, quæ hisce Mysteriis innuntur, ipse autem in intellectu suo non habet plus luminis ad cognoscendum Deum, quàm si fide prorsus careret. Ut quid miraris, si perseverans in magnâ istâ Dei ignorantia, vitam ducat Atheorum more? Ut quid velles ipsum tanti æstimare supremam hanc Majestatem, ut illam omnibus anteferet? Mens illius nullo ipsam loco habet, cum ipsam non cognoscat, quomodo ergo magni penderet vel venerationi haberet? Ut quid velles ipsum amare Deum super omnia, cum amare non possimus, cujus nullam noticiam habemus? Novit quidem res innu-

meras sensibus subditas, quibus consecrat amorem suum; sed cum minorem Dei, quàm cœterorum omnium habeat cognitionem, consequenter etiam minore erga ipsum fertur amore ac æstimationis affectu. Et tu velles navare ipsum operam, ut illi placeret, semetipsum abnegaret, naturalibus suis propensionibus vim inferret, ad exequendum in omnibus voluntatem Dei? quâ ratione tam generosum caperet consilium, cum non capiat, nec sciat, quòd sit Deus?

Vivet, qui est ejusmodi, ut plurimum juxta inclinationem naturæ, quâ si feratur ad malum, enormia patrabit facinora, & acriter in ipsum invehetur, diceturque ipsum vivere velut Atheum. Quod si fors obtigerit illi, obtinuisse bonam indolem, vivet moraliter benè, extolletur laudibus, & dicetur, ipsum valdè bonum agere Christianum; reaptè tamen, ut verus vivet Atheus, cum nec levissimam habeat Dei cognitionem, nec minimam in omnibus, quæ agit, reflexionem ad ipsum; Non nisi sequitur bonæ indolis propensionem, quam possidere etiam posset homo prorsus nullâ Dei noticiâ imbutus: Et ejusmodi Atheis scatet & abundat mundus, qui sanè procaciter negare nollent existentiam Dei,

Quare plerique homines vivunt more Atheorum,



fed cùm ipſus nullam cognitionem habeant, non pluris ipſum pendunt, nec magis de ipſo cogitant, ac ſi firmiter crederent, ipſum non eſſe.

Quòd ſi ergò per Atheos id genus hominum intelligatur, fateri oportet, quaſi infinitum & abs numero fore ipſorum numerum, paucòsque, qui ejuſmodi non ſint: ſi namque ad notam Athei effugiendam oporteat cognoſcere Deum per lumen fidei ſupernaturalis vivæ, quæ reverà moveat, & exſtimulet animum; Ecce tibi quid requiratur in eo, qui nulla ratione ſit Atheus.

Fides facit  
Deum præſentem  
ferre omnibus.

1. Fides demonſtrat, Deum eſſe ens infinito modo perfectum, & conſequenter infinito modo æſtimabile; Eſſe ens infinito modo bonum, adeoque infinito modo amabile. Si verè intellectum hoc lumine imbuat, ipſique hanc fidei veritatem efficaciter perſuadeat, haud eſſe poteſt, quin Deum proferat omnibus, tum majoris ipſum æſtimando, tum ardentius ipſum diligendo; ſed præferat ita, ut Deum velut unicum & omne bonum ſuum, Creaturas autem omnes illius intuitu velut res nihili aſpiciat, adeoque omnem ſuam æſtimationem, omnem ſuum amorem illi conſecret; Cœtera autem omnia deſpicatui habeat maximo, ſummè contem-

nat & averſetur. Non clarè videre, Deum eſſe omnia, & creaturas eſſe nihil, haud ſanè eſt cognoſcere Deum; veritas namque eſt Deum eſſe omnia per ſeipſum, & creaturas eſſe res nihili, cùm ex nihilo veniant, paratæ ſemper in nihilum reverti, ſi Deus vel unico momento ab ipſarum conſervatione deſiſteret. Videbis, quid in animâ operetur primus fidei radius, cùm nobis communicet veram Dei cognitionem, omnem noſtram æſtimationem, omnem noſtrum amorem in ipſum rapiat, cœteris omnibus, quæ Deus non ſunt, neglectis ac contemptis. Nonne verum eſt, pauciſſimos in mundo hanc vitæ rationem injre, ac ejuſmodi amplecti inſtitutum? fateri ergò oportet, rariffimos eſſe, qui Deum cognoſcant.

2. Fides non ſolum tribuit animæ cognitionem ſpeculativam circa veritatem eſſentiæ Dei, vel magnitudinem Myſteriorum, quæ operatus eſt in bonum noſtrum; uti eſt, Creatio mundi, Redemptio generis humani, æternitas pœnarum, retributio bonorum; ſed communit ipſi etiam cognitionem & perſuafionem practicam ac efficacem omnium veritatum, quas docuit, affectuum, quos elicere, operum, quæ perficere debemus, ad conſervandum

Fides facit  
exercere  
virtutes.

in om-



in omnibus, sicut decet servos Dei, volentes ipsum cognoscere, eidem obsequi ac famulari. Exempli gratiâ, si firmiter persuadet, ut credamus, filium Dei incarnatum esse in sinu Beatissimæ Virginis, velut veritatem, pro quâ parati sumus effundere sanguinem, eâdem ratione persuadet, nosque inducit ad credendum id, quod dixit olim in sancto Evangelio: Beati pauperes; Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam; Et vâ divitibus, qui habent hinc consolationem suam. Et de his ita persuasi & certi sumus, si veram possideamus fidem, ut pro hujus veritatis defensione æquè promptè daremus vitam ac sanguinem, sicut ad propugnandam veritatem de Existentiâ Dei.

Quando dicit nobis Evangelium: quod nisi conversi fuerimus & efficiamur sicut parvuli, non intrabimus in Regnum Cælorum: quod nisi fecerimus pœnitentiam, omnes similiter peribimus; quod nos oporteat diligere inimicos nostros, & benè facere his, qui nobis malè faciunt; quod qui amat Patrem suum & Matrem suam, plus quàm illum, non possit esse ipse Discipulus; & millena alia documenta sublimia, quibus refertum est Evangelium: Hæ veritates ex ore Dei nobis annuntiatæ sunt

tam certæ, quàm certa est veritas de Existentiâ Dei, & quia plerique homines de his non judicant, nisi per cognitiones suas naturales & affectus suos humanos, hinc illis non moventur, audiunt illas duntaxat pertranscursum & elabi permittunt, absque eo, quòd animum advertant. Sed si verum est, quod lumen fidei stabiliat in animâ cognitionem Dei existentis, & homo ex illâ ita convincatur, ut paratus foret mori pro defensione hujus veritatis, sic in illâ, eâdem prorsus virtute stabilire debet omnes alias veritates tam speculativas, quàm practicas, quas edocuit, ut paratus quoque sit potius tolerare mortem, quàm dubium aliquod admittere circa unicam duntaxat ex hisce veritatibus: alias, si fide deficiat in unâ, deficiet quoque illâ in omnibus, & non habebit fidem. Etsi fidem non habet, verum erit dicere, quòd non cognoscat Deum, sicut Christiani hominis foret, illum cognoscere.

Jam quæro, an multos reperire sit in mundo, qui tam firmitè credant, agenda esse pœnitentiam, studendum esse humilitati, diligendos esse inimicos, contemnendas esse divitias, & reliquas veritates practicas, quæ docentur in Evangelio, sicut credunt, existere Deum, ipsum esse

Parum nobis cordi sunt practica veritates Dei.



esse incarnatum, mortuum pro se in cruce. Nonne manifestè videmus, tam parùm persuasas nos animo habere veritates practicas, quas fides nos docet, ut quasi omnes contrarium & oppositum agant in vitâ suâ. Ubi est igitur fides? ubi est, Domine, quod dixisti; quod si fidem habuerimus sicut granum sinapis, translaturi simus montes, id est, superaturi maximas Christianæ vitæ difficultates, quæ nobis faciles & leves erunt ad portandum? Ubi est, quod promissisti, quòd illi, qui credituri sunt in te, ejecturi sint dæmonia, id est vitia & omnia peccata è cordibus suis? ubi est, quod spondidisti, quòd locuturi sint linguis novis, id est, locuturi alio prorsus modo, quàm loquantur homines mundi, cum habituri sint sensa animi prorsus alia, contemnentes, quod ipse æstimat, & æstimantes, quod ipse contemnit? fatendum omninò est, haud rarius quidquam esse hominibus, qui præditi sint vivâ hâc & inviolabili fide, quâ universalitè credant omnia, quæ ipsa nos edocet de Deo. Si pauci sunt, qui verè fidem habent, etiam pauci sunt, qui cognoscunt Deum; & si pauci sunt, qui Deum cognoscunt, paucissimi quòque sunt, qui aliquâ ratione non sint Athei.

3. Tandem fides menti illapsa

ad demonstrandum Deum, ipsam docet, illum ubique præsentem esse, eò quod sit immensus. Quod si aliquo cognitionis radio circa sublimem hanc veritatem perstringitur, cum probè noverit Deum esse bonitatem infinitam, & magnum illum æternarum voluptatum Oceanum, immensum illud ac profundum bonorum infinitorum pelagus, suos gaudio replens possessores; hinc cum se totam videat circumfusam, totam penetratam, totamque absorptam immensitate hujus Dei, quem cognoscit, quemque oculis fidei præsentem videt, tantâ profunditur pace, voluptate ac amabili saturitate, ut deinceps non ampliùs agitur desideriis illis sollicitudine plenis, quæ turbare solent hominum pacem.

Non est vas tam magnum, quòd mari immersum non ita repleatur, ut nec unicam quidem alterius liquoris guttam ampliùs sit recipiendo; Et non est cortam vastis extensum desideriis, quin omnimodè satietur ac repleatur, si Deum cognoscat, ejusque cognitione perfundatur. Si bona desiderat, Deus inexhaustus est bonorum infinitorum Thesaurus; si desiderat voluptates, ipse harum origo est, omnia replens suâ, quâ turget abundantia; si desiderat honores, gloria ac divitiæ sunt in do-



in domo ejus. Ipse est thesaurus absconditus, quem qui semel invenerit, vadit & dispersitur omnia sua ad ipsum possidendum, abundè se credit divitem, cumulatè locupletem.

Ah! Cur neminem quasi continet mundus, qui vivat contentus, nisi quod nemo quasi sit, qui, Deum cognoscat, de ipso cogitet, ipsum quærat, vel ipsi placere studeat? O mi Deus, si quis te vel parum cognosceret! Si vel parum obscurum aliquem locum sol subintrat, ac vel minimum luminis sui radium illuc effundat, propediem affert diem, qui solatio perfundat. Et quàm

parum etiam divini luminis tui concedas animæ, O magne Sol æternitatis, tam divino ipsam demulces & accumulās gaudio, quo cuncta creata simul ipsam non possent locupletare. Siquidem si bonum est, quod aucupamur; si pulchrum est, quo delectamur; si illo efficimur, hoc allicimur, quibus o Bonitas omnium Bonitatum, o pulchritudo omnium pulchritudinum, abundas deliciis, illecebris, allectamentis, ad trahenda ad te corda nostra, si te cognoscerent! *Noverim me, Noverim te!* O mi Deus, cognoscam te, ut amem te in æternum ex toto Corde meo!

## CONSULTATIO V.

### De Unitate DEI.

Nemo publicè profiteri audeat Atheismum.

**S**I dicere clam vellet impius in Cordis sui meditullio: Non est Deus, quamprimùm perculsa terrore ipsius anima tam abominandam condemnaret Cogitationem, & omnia illius ossa dicerent præ horrore: Domine quis similis tibi? Si Cogitationem suam protrudere foras & suo excludere sinu audeat, Creata omnia justo animata Zelo in blasphemiam illius, ad conviendum & confundendum ipsum exclamarent: Quis ergò, quod

sumus, & sicuti sumus, fecit nos? Siquidem non sumus à nobismetipsis, nec potuimus nobis ipsis dare, quod sumus; aliàs habuissimus esse in nobis ipsis, antequam illud accepissemus à nobismetipsis.

Si deniq; impietatem suam aliquam munire ac fulcire vellet ratione, ratio ipsa, à quâ sperabat subsidium, adversus ipsam capefferet arma: Siquidem Divinus hic radius à supremâ Dei ratione procedens, eo fore modo,